

Johann Friedrich Mayer


**Collegii Theolog. Decanus Jo. Frid. Mayer, Lipsiens. D. Consiliar. Regius & Ducalis ... & h. t. Rector, Programmatae hoc De Variis Scripturae S. Lectionibus, unde ortae & an Certudinem S. Codicis laedant? ad Lectiones Cursorias ... Dn. M. Brand. Henr. Gebhardi, S. Theol. & Ling. Oriental. Profess. Publ. Ordinar. ... De Miraculis Messiae ad Cap. XI. Esaiiae Consensu Summe Rev. Facult. Theol. ad d. 23. 24. Januar. ... habendas ... humanitate invitatae**

Gryphiswaldiae: Typis Danielis Benjaminis Starckii, [1702?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86346405X>

Druck Freier  Zugang





Pr. Ind. 232 p

Pr. 120 p

Pr. 96 p  
80 p

- A B 12 p


Pr. 56 p

16 p

Tyrolson  
crit. exeg 167

F.c. — 1435<sup>1</sup> — 8.

167



I. N. J.

COLLEGII THEOLOG. DECANUS

JO. FRID. MAYER, Lipsiens. D.

Consiliar. Regius & Ducalis,

S. Theol. Profess. Primar. Consistorii Regii Præses, Acad.

Pro-Cancellarius & h. t. RECTOR,

*Programmate hoc*

De Variis Scripturæ S. Lectio-  
nibus, unde ortæ & an Certi-  
tudinem S. Codicis  
lædant ?

ad Lectiones Cursorias

VIRI PLURIMUM REVERENDI, AMPLISSIMI

ATQVE EXCELLENTISSIMI,

DN. M. BRAND. HENR. GEBHARDI,

S. Theol. & Ling. Oriental. Profess. Publ. Ordinar.

Longe Celeberrimi,

De

MIRACULIS MESSIÆ *ad Cap. XI. Esaiæ*

Consensu Summe Rev. Facult. Theol.

*ad d. 23. 24. Januar. hora 10. ad 11. antemerid. habendas*

Generosos Regii Dicastrii Dn. Directorem & Consiliarios

Patres utriusque Reipublicæ Conscriptos

Nobiliss. Dnn. Studiosorum concionem,

ea, qua fas est, humanitate invitat,

---

GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Acad. Typogr.

COLLEGIUM THEOLOGICUM DECANUS  
JOHANNES MEYER, THEOLOGUS, D.  
CANTOR, THEOLOGUS & THEOLOGUS  
S. THEOLOGICAE FACULTATIS RECTOR  
THEOLOGICAE FACULTATIS RECTOR  
DE VIRTUTIS SCRIPTURAE S. LECTIO  
LIBRI, ENDE ORATIO AN GERTI  
LUDWIGI S. CODICIS  
LUDWIGI S.  
MIRACULIS...  
CONSILII...  
S. THEOLOGICAE FACULTATIS RECTOR  
THEOLOGICAE FACULTATIS RECTOR  
S. THEOLOGICAE FACULTATIS RECTOR  
THEOLOGICAE FACULTATIS RECTOR

## JESU FORTUNANTE !



Quoniam autographa scriptorum Θεωπνεύτων perire, (quo de argumento peculiari dissertatione egimus. Vide *Dissert. Kilonienses & Hamburg. Diss. I.*) divino quidem beneficio non defunt nobis innumera ex iis & in nostram usque servata ætatem apographa, non tantum in codicibus eadem lingua scriptis, quæ Prophetæ & Apostoli olim usi sunt, sed & in antiquis versionibus.

At si codices illi inter se conferantur, non usquequaque eadem lectori verba occurrunt, sed sæpe inter se discrepant exemplaria, ex quibus editiones quoque diversæ procul sunt à typographis.

Neque hodie demum vel heri natam esse illam diversitatem patet ex codicibus vetustissimis Mss. ex antiquis versionibus, quæ non uno in loco cum inter se tum ab excusis codicibus differunt. Idem constat in Libris V. T. ex annotationibus quibusdam Masoretharum ex 848. locis, KERI ET KETIB, ex *divãis γραφαῖς* Judæorum Orientalium (Babyloniorum) & occidentalium, (Palæstinorum) Ascher & Naphthali, ex *apographo Samaritico*, ex locis in Talmude & apud veteres Rabbinos allegatis, ut alia jam omittam.

In libris utriusque fœderis non minor varietas passim deprehenditur, si consulas loca à priscis Ecclesiæ Doctoribus adducta, eaque conferas vel inter se vel cum codicibus hodiernis. Verum de his sobrie judicandum, quia sæpe ex memoria dicta Scriptura allegant.



Neque omnis variatio Interpretum à textu Originario nititur diversitate codicum originariorum. Neque Judæi semper, cum in libris suis dicta Scripturæ paulum immutata referunt, veram lectionem volunt ostendere, sed de industria sæpe ad institutum suum verbis paranomastica immutatione detortis abutuntur.

Quamvis vero Critici nonnulli LUDOVICUS in primis CAPPELLUS, & alii quidam sæpe numero præter necessitatem auxerunt numerum Variarum Lectionum, nullas tamen dari nemo dixerit nisi impudentissimus. Neq; quod ad novum præcipue Testamentum attinet, dubitare poterit, qui vel ROB. STEPHANI vel MARCHIONIS VELESII, vel *Luce Brugensis* vel *Londinensium* in suis Polyglottis, vel STEPHANI CURCELLÆI vel *Petri Possini*, vel Oxoniensium deniq; in sua N. T. editione collectiones oculis usurpaverit. Quorum omnium industriam longe vicit JOHANNES MILL in sua ἐκδόσει Novi Fæderis, folii formaluculentis typis expressa, & jam ad umbilicum perducta, sed hæcenus ab autore ex metu à typographis æmulis suppressa, in qua non tantum loca parallela copiosissime, sed etiam variæ lectiones ex codd. innumeris Mss. ex antiqvis versionibus & Patribus incredibili numero congestæ sunt.

Cum itaque constet nec negari possit διτλὰς ejusmodi γραφῶν in apographa scriptorum sacrorum irrepsisse, cuilibet statim lectori non incurioso in mentem veniet quærere, unde illa varietas acciderit, & nonne ea admissa detur in universo Sacro codice nihil superesse certi. Neque nos diffidimus operæ pretium nos facturos, si ad utramque harum quæstionum quantum fieri potest solide & perspicue breviter tamen responderimus.

Scisci.

Sciscitantibus igitur unde *Varia Lectiones* in scripturæ  
codices penetraverint, non dubitamus *OMNEM FERRE*  
*CAUSAM ET ORIGINEM IN NEGLIGENTIAM IMPE-*  
*RITIAM* 2; *LIBRARIORUM CONJICERE* qui codices illos  
manibus suis exararunt, ex quibus nostra quæ habemus  
fluxerunt apographa.

Certum est *fraudi & malitia* paucissimas imo nul-  
las tribuendas esse, quia Judæi non religiose duntaxat  
sed superstitiose coluerunt literas sacras, jam à *CHRISTI*  
*Servatoris* nostri tempore, cui fere æqualis *Josephus*  
*Libr. I. contra Appion. & Eusebius Histor. Eccles. Libr. III.*  
*Cap. X. p. 85. AUTOR EST EOS CITIUS VITA EXUI SE*  
*PASSUROS QUAM CONCESSUROS* ut vel unica è lege  
litera tolleretur, aut mutaretur, nedum adjiceretur.

Inter Christianos vero cum statim à temporibus  
nascentis Ecclesiæ una cum fidelibus codices sacri per  
omnem terram essent dispersi, *NEMO POTUIT* tamen-  
si voluisset libros sacros interpolare, ut non statim  
fraudis manifestum plures deprehenderent. Quare  
notum quoque est ex *Tertulliano, Epiphanio & aliis* Mar-  
cionem similisque furfuris falsarios malitiam suam  
ne per exiguum quidem temporis spatium Ecclesiam  
clam habere potuisse.

Non me fugit Judæis pariter & hæreticis fraudem  
ejusmodi sæpius tribui à non paucis Christianorum,  
etiam veterum aliquibus. Ita *Mubamedani* Judæos  
non minus quam Christianos corruptæ Scripturæ reos  
agunt. Sed hoc quoque scio ex affectus impetu quan-  
doque, plerumque ex nimia credulitate eis impacta  
esse interdum crimina & dogmata, quæ nunquam vel  
professi sunt vel commiserunt.

A<sub>3</sub>

Utinam

Utinam Christiani & Orthodoxi eadem verisimilitudine excusari possent semperq; abstinuissent fraudibus, quas per oxymoron pias sunt qui appellant. Sane Epiphanius Orthodoxus ipse in Ancorato n. 31. Autor est Orthodoxos quosdam apud Lucam crasisse, quæ de fletu CHRISTI Cap. XIX. 41. leguntur. Ὁρθόδοξοι δὲ ἀφείλαντο τὸ ῥητὸν φοβηθέντες καὶ νοήσαιτες αὐτῆ τὸ τέλος καὶ τὸ ἰσχυρότατον. Verum orthodoxi dictum hoc sustulerunt, videntes ac non intelligentes ipsius finem, vim ac robur. Sic apud eundem Lucam quæ de adveniente Christumque corroborante Angelo & de sudore Domini sanguineo Cap. XXIII. 43. hodie legimus, & in Græcis & in Latinis codicibus complurimis tempore Hilarii non scripta reperiebantur, ut ipse refert Lib. X. de Trinitate Cap. III. Hanc vero *ILLAUDABILEM ET SUPERSTITIONEM ET TEMERITATEM* ut Grotius appellat particulam illam de textu Evangelistæ delendi, *Sixtus Senensis Lib. I. Bibl. S. Cap. XXII.* non dubitat tribuere pio sed simplici Zelo Orthodoxorum.

Neq; tamen in Orthodoxorum potestate fuit quicquam in codicibus sacris vel addere vel omittere vel immutare, ut non statim ab aliis deprehenderetur, tametsi interjecto tempore illa codicum varietas potuit Criticæ imperitis nonnihil scrupuli injicere, quem pro viribus tollere annisi sunt duo Ecclesiæ lumina *Origenes & Hieronymus*, antiquissimos codices comparantes atq; ad eorum fidem & consensum mutationes, quæ recentius in libros sacros irrepserant, eliminantes.

Sed negligentia & imperitia librorum nullis potuit frenis coerceri, ut illa non quotidie mater esset novarum innumerarumque Variarum Lectionum. Quæ præterquam quod communi fato humanorum etiam scripto-

scriptorum omnes autores veteres Græcos & Latinos simili varietate fecit à seipsis disfidere, in sacris scriptis peculiare habuit rationes. Nam & sæpius describi ea oportuit, quam ex aliis libris quæquam, & longe diligentior fuit industria ad sacros codices aliquid annotandi, quas annotationes cum librarii imperitia à scripturæ verbis nesciret distingvere, varietatem lectionis peperit. In Evangelistis præcipue quis nescit tantam codicum diversitatem ante Eusebium & Hieronymum fere non ortam esse aliunde; quam quod Christiani ad singulos conferrent verba alterius Evangelistæ atq; hæc ita indistincte à librariis describerentur, qui sæpe fuere plane ignari linguæ Græcæ. Jam in libris V. T. literarum quarundam mira affinitas & difficultas descriptionis non mediocrem attentionem requirens facile effecit, ut in longo opere industriis etiam & accuratis somnus quandoque obreperet. Græca vero cum scriberentur sine accentibus literisq; capitalibus & verbis parum à se invicem distinctis, magnam varietatē vel ex eo ortam esse valde est credibile. Quid de abbreviationibus sive scribendi compendiis dicam, quæ sæpe librariis cum cruce figerent, ansam dedere, nodum quem solvere nescirent sciendi, notumq; pro ignoto ponendi. Illa porro varietas multiplici librorum ex uno codice transcriptione, versionibus variis, mirifice aucta & confirmata fuit. Cui accessit, cum aliquis ex antiquis Ecclesiæ doctoribus locum quendam ex memoria laudasset atq; adeo in illo ut sit verba paulum immutasset, mox alius hanc diversitatem in codice annotans, alteri occasio fuit eam in textum recipiendi atq; ita propagandi, augendiq; numerum Variarum Lectionum. Magis quoque peccatum à librariis est  
cum

cum dictante uno scriberent plures, auresq; eorum non satis subactæ ὁμοφωνία decipi se paterentur.

Hæc si quis admittere alienum esse putet à divina providentia, ex eo quæram, num eidem advesetur, quod hodieque permittat, cum libri sacri typis exscribuntur, ut simul in bis mille & plura exempla tot navium typhothetarum irrepant? Si itaque frustra DEUM accusamus, quod non quotidie in typographiis facit miraculum, longe minore jure possumus ejus providentiam accusare, quod non librarios ab omni labe immunes per miraculum servaverit, cum non bis mille simul sed tantum singulos codices describerent. Potius miraculo proximum est, nec satis celebranda à nobis Divina πρόνοια, quod per tot clapsa à sacris scriptoribus secula, cum innumeris vicibus describi libros sacros oportuerit, tanta hostium hæreticorumque multitudine in tanta temporum varietate, seculis barbaris non major & extantior varietas & talis quidem quæ dogmati vel moribus repugnaret, in Scripturæ codices penetraverit. Mirum in tanta Palæstinis inter & Babylonicis Lectionum variarum S. Cod. copia, nullam prorsus dari in Lege Mosaica. Ita etenim Buxtorff. in *Anti-Crit. P. II. C. V. p. 511. Varietatum illarum, uti quidem ab Hebræis sunt collectæ & annotatæ in libris editis, sunt 216. quarum tamen nulla est in Lege Mosis. Quod non existimo inde esse, quasi Indicis hujus autor vel editor sponte illas suppressere voluerit, & reticere, vel dissimulare, quod Critici est judicium; sed inde, quia ob religiosissimam & accuratissimam, quam in describendo libro Legis exi-*  
gunt

gunt diligentiam, ob exquisitam in illo corrigendo  
& examinando, antequam legitimus sit, industri-  
am, & continuam ejus per Lectiones Sabbathinas  
Lectionem, scriptio requisita ita apud utrosq; certa,  
indubitata & emagonia fuerit, ut non facile dis-  
sensio in ea oriri potuerit, aut, si quæ oborta esset,  
concilianda fuerit, cum apud utrosq; hoc axi-  
oma locum habuerit: *Librum Legis, in quo vel  
unica litera deficit aut redundat, esse illegiti-  
mum & prophanum.* Profana Scripta, inquit  
Alex. Morus in causa DEI p. 79. nec tam antiqua  
sunt neque eis quisquam insidiatus fuit, aut de iis  
abolendis, aut corrumpendis cogitavit, & tamen  
plurimis nevis, lacunis, &c. sunt deturpata.  
Miranda itaq; DEI providentia, qui sacrum codi-  
cem antiquissimum, ad quem suppressendum aut  
saltim depravandū tyranni, heretici homines, ac  
Dæmones potentiam, peritiam, vim, dolum frustra  
conjunxerunt, ita conservavit, ut nullam capi-  
talem, quæ salutem nostram noxia esse possit, mutatio-  
nem subierit. Joh. Gregorius præfat. ad Obser-  
vationes in quædam S. Scripturæ loca: Certe in  
hoc magis apparet providentia Divina, quàm in  
absoluta preservatione potuisset. Passus est Deus  
hec Zizania (nobis dormientibus) feri in genea-  
logiis & locis minoris momenti, ne avide nimis

B

secta

*sectaremur מלשון חזקיהו EXTRACTA QVÆSTIONUM  
ut hæc ab ipsis Judeis appellantur & servantur.  
Invictum est argumentum pro Scriptura, errata  
hujusmodi innumera pene & de industria esse præ-  
termissa, nec tamen aliquid essentielle & ad salu-  
tem necessarium unquam loco moveri. Revera  
istæ varietates lectionum idem præstant respectu  
Scripturæ ac chalyboclis respectu magnetis terræ,  
dum inde docetur nauta, quo certius navem dirigat.*

At enim, inquis, ita actum est de ἀσφαλεία sacri  
codicis, quomodo ita certus esse potero divina esse  
oracula quæ lego, nonne in singulis verbis justa erit  
suspicio hæc aliter concepta, aliter in literas redacta  
fuisse à sacris Scriptoribus, quam in nostris codici-  
bus legenda exhibentur?

Huic magni momenti objectioni quo satisfiat, nec  
aliquis, ut ait Augustinus, in verbo DEI inveniat occasionem  
perditionis sue, quod verbum non est predicatum & conscriptum,  
nisi ad medicinam & salutem, sed lector potius totam rem  
ut est expendens eo certior reddatur in πληροφορία de  
veritate ac divinitate sacrarum literarum, velim ob-  
servari hæc tria quæ aut sufficient piæ veritatis cultori-  
bus, aut nihil erit satis.

I. Nullus CODEX Scripturæ, nulla versio antiqua  
ita passa est alterationem, si OMNES VARIE LECTIO-  
NES in unum componantur, NULLA DETRACTIO,  
ADDITIO, MUTATIO OCCURRIT tanti momenti, ut  
quæ SPERANDA, FACIENDA, CREDENDA à DEO &  
CHRISTO nobis in nostris codicibus proponuntur,  
in aliis

in aliis DOCEANTUR NON ESSE SPERANDA, NON FACIENDA, NON CREDENDA. Vicissim eadem præcepta, easdem promissiones, promissa eadem lector petere poterit ex quibusvis sive codicibus, sive translationibus antiquis.

II. Si in codice quodam, vel in translatione occurrat aliquid dogmati vel præcepto repugnans, illud continuo poterit argumentis manifestis, neque cuiquam rerum gnaro inficiandis demonstrari esse falsum & supposititium, sive detractum, sive additum, sive interpolatum, & hoc poterit ad oculos ostendi collatione antiquiorum codicum, versionum, veterum Ecclesiæ doctorum, horumque omnium & Ecclesiæ perpetuo dissensu, rerumque ipsarum incohærentiâ.

III. In aliis quoque locis minoris momenti ad salutem, non desunt ejusmodi argumenta Critica, quibus inter diversas lectiones verior indagari, & rejicere seponi possint. At quo minus hoc quibuslibet lectoribus ad pietatem & salutem necessarium est, eo quoque est, difficilius & vix à paucis potest cum successu fieri, neque in locis omnino omnibus.

Constat itaque ἀσφάλειαν sacri codicis per varias Lectiones minime convelli, sed illis non obstantibus certissimos nos esse posse, hæc nec alia esse, quæ in codicibus nostris credenda, facienda, speranda nobis proponuntur, quæ eadem DEUS Ter Opt. Max. per Prophetas suos & Apostolos credi à nobis, fieri, sperarique voluit. Cumque ita nulla vel universalis, vel capitalis alteratio in quibusdam sacrarum literarum descriptionibus admittatur, non dubito in hoc nec divi-



nam providentiam accusaturos neque negaturos divinae veritati fidem, neque adeo mihi disensus esse, quotquot rem probe considerant, quotquot finem, ob quem scripti sunt libri sacri, diligenter perpendunt, quotquot denique de salute sua magis & DEI voluntate, quam de literis sunt variarum Lectionum syllabisque solliciti.

Universum ego negotium verbis Viri Summi Jo. Georg. Dorschei conficiam, quod variae lectiones puritati Scripturae non officiant, excubiasque egerit divina providentia, ne quid detrimenti ex illis fides pateretur, sed certa & invicta staret. Ita vero communis Orthodoxorum Praeceptor in Colleg. de Script. Sacr.

*Puritas S. Literarum in codicibus expressis (1) est limitata tanta, quanta ad salutem necessaria est. (2) dependens à subsidiis & mediis certis, quae DEUS ad illum finem superesse voluit. Custodiam autem divinam his efficit argumentis:*

*(a) Cujus perpetua voluntas est, ut in translatione negotii salutis ad λόγια τῆς Θεῆς principaliter respiciatur, is gratiose simul se obligat, quod velit ista λόγια sua contra omnes corruptelas ita tueri, ut tuto & infallibiliter respici possint. At DEUS Opt. Max. perpetuo vult, ut in translatione negotii salutis ad λόγια sua principaliter respiciatur.*

*Ergo simul DEUS se gratiose obligat, quod velit*

velit ista *noia* adversus omnes corruptelas ita  
tueri, ut tuto & infallibiliter respici possint.

Maj. probatur, nisi subeset obligatio gra-  
tiosa ad perpetuam defensionem & vindicationem  
adversus corruptelas, non constaret & subsisteret  
obligatio altera ad perpetuam attentionem.

Minor probatur ex 1. Petr. IV. 11. Si quis  
loquatur; loquatur ut loquia DE I.

(6) Quod perpetuo inservire debet contra  
quemvis obscurum locum salutis impeditivum,  
in eo non debet esse, neq. per providentiam divi-  
nam admitti potest locus obscurus aut corruptus  
salutis impeditivus.

Atqui vi verborum Apöstoli 2. Pet. I. 19. Habe-  
mus firmum sermonem. Sermo Propheticus per-  
petuo inservire debet contra quemvis obscurum  
locum salutis impeditivum.

E. in scriptis Prophetis non esse debet, neq.ve  
per providentiam divinam admitti potest locus  
obscurus aut corruptus salutis impeditivus.

(7) Fundamentum præcipuum hujus attributi  
est Matth. V. 18. Subjectum est *ὅτι ὁ κύριος λέγει*,  
per quod immediate scripturam Canonicam V.T.  
intelligimus, quia cum hæc CHRISTUS loqueretur,

tur, nulla extiterit Scriptura N. T. Interim tamen per ampliationem Scripturae N. T. una intelliguntur, non excluduntur, tum quia CHRISTUS loquitur, ex divina providentia, adeoque non excludit, quae per divinam providentiam Legi & Prophetis conjungenda esse, CHRISTUS non ignoravit: tum quia CHRISTUS respicit ad vaticinia complenda, ad quorum complementum usque libri divini vaticinia ista complexi durare debeant. At libri N. T. non minus vaticinia implenda continent, quam libri V. T. Quod itaque enunciatur propter vaticinia implenda de libris V. T. id propter identitatem rationis & de libris N. T. dicendum est. Praedicatum est inviolata puritas, quia de his libris praedicatur ἀκατάλυσις. v. 17. Unde ita argumentor: Qui libri sunt ἀκατάλυτοι ad finem seculi usque perstituri, illis promittitur inviolata perpetua puritas. Atqui libri tum V. tum & N. T. sunt ἀκατάλυτοι ad finem usque seculi perstituri. Ergo. Major probatur, quia ubi introducitur impuritas, ibi in tantum fit κατάλυσις librorum, in quantum impuritas grassatur. Minor est ex textu manifesta. Deinde, quia istis libris tribuitur ἀπαρελευσία & (ut sic dicam) immutabilitas. Ex quo ita argumentor:

mentor : In quibus libris usque ad transitum  
coeli & terra ne apex quidem peribit (sc. qui  
ad sensus divini custodiam pertinet) in illis per-  
petua est & erit puritas. Atque in libris Cano-  
nicis usque ad Ec. Ergo. Minor est CHR-  
ISTI; Major ex terminis clara. Nam si ne apex,  
multo minus vocabulum, nedum integer ver-  
sus peribit.

Atque his' quidem frequens auditorium Theo-  
logiæ Exegeticæ & Lingvarum Orientalium Profes-  
sori longe Excellentissimo Summos in Theologia  
honores petenti exorare volui. Vir nempe Plurimum  
Reverendus, Amplissimus atque Excellentissimus,  
DN. M. BRANDANUS HENRICUS  
GEBHARDI, S. Theol. & Lingvar. Oriental.  
Prof. Publicus longe celeberrimus, postquam Theo-  
logi Ordinarii Sparta majorum more nuper esset orna-  
tus auctusque, Gradum quoque huic Professioni pro-  
prium modeste jam ambit. Consensit facile Reve-  
renda Facultas nostra. Ipse ad specimina publica adi-  
tum faciens in *Lectionum Cursoriarum* argumen-  
tum *Miracula Messie* ad ductum *Esa. XI. ad D. 23.*  
& 24. Januar. hora 2. ad 3. pomerid. enarranda & ex-  
plicanda assignavit.


Ut vero pluribus in laudes Plur. Rever. atque  
Excellentissimi DN. CANDIDATI excurram opus esse  
non existimo, cum multa ejus & magna in Ecclesiam  
& Rempubl. Literariam dudum sint merita. Exstant  
sane

sane Scripta Ejus solida adversus R. Abarbenelem, ad-  
versus Marc. Meibomium, aliæque Disputationes adver-  
sus recutitos plurime. Quotidie Vir Clarissimus labo-  
ribus suis nostram ornat Academiam, & insignem in  
modum commoda Studiosæ Juventutis promovet.  
*Sufficiat itaque ad illum audiendum GEBHARDI  
retulisse nomen.*


P. P.

Sub Sigillo Facultatis  
Dominic. III. post Epiphan.  
Anno 1702.














mortuumque resur  
in mysteriis initiisq[ue]  
Mose descriptam f  
imitatum eum esse  
peragravit terram  
in caelum pervenit  
Gigantem visum de  
latos esse putem?  
Esculapium mortu  
et hunc in rebus h  
duxerim? Cor  
quoque Bochartu  
modo Gentiles fa  
de asina, qua  
Status, ex

(16)

caelum ascendisse scribunt, ac vinu  
nt: annon quam supra recitavimus a  
bi prae ditionem, (Gen. XLIX. 10.)  
autem Herculem fortem, qui omnem  
ex Alcmena genitum, ac mortuum.  
n ego Scripturam, fortem tanquam  
RISTO promulgatam, similiter emu  
ra adulterando, quis falsa renunciet,  
n et agritudines alias curantem: non  
STO edita vaticinia iidem immanum  
g. pro Christianis fol. 76. Confer  
p. 482. prolixè ostendentem, quo  
no Bachi comite, de ejus doctrina,  
e ebrietate, de lacte, quo dele  
bi vaticinio suggerente Dia  
extruxerint.

